



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XLVII. Maria infectum pueri, sibi diuinctissimi caput curat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](#)

MIRAC. VIRG. XLVII.

*Maria infectum pueri, sibi diuinissimi caput curat.*

**D**ignissimum est, quod alijs etiam miraculis inseratur id, quod coenobita quidam, qui Adam dicebatur, amico suo narravit. Cū n. ille puer esset, ita inquinatum caput habebat, ut pefsimè oleret, ut eius aditum omnes refugerent. Quicquid tamen illud erat, semper aequo animo ferebat, se Christo, ac Virgini piè commendans. Ac praeter cetera dum ad litterarum magistrū accederet, quotidie consueverat trāsire per templum Virgini sacram, in quo prostratus illam salutare, eiusq. mansuetudinem piè inuocare. Quinimmò in more posuerat, ut illac noctu saepè se conferret, uti nocturnis excubijs, quae ibi celebrabantur, interesset. Fortè autem quadam nocte aeris campani sonum exaudiens, quo de more in illo téplo matutinae obsecrations indicebantur, illuc accesit. Sed quia clausa erat ianua, minimè ingredi potuit. Extra autem sacram tam aedem, quae consueverat, piè, ac sanctè peregit. Vix ea praestiterat, cùm statim fores patere, atq. omnia intus diuina luce splendescere, & collucere aperte conspexit. Itaq. illuc ipse ingrediens ante facellum maius septem mulieres praestanti, ac coelesti facie unà confidenteis uidet. Earum uero pulcherrima ita locuta est. cur, bone puer, ad curandum tuum hoc caput aliqua remedia non parantur? cui respódit puer. Nihil parentes mei intentatum reliquerunt, in eam rem

IM M

## LIBER PRIMVS.

91

rem studiosè incubentes, ut teterima ista lues expelleretur: Sed nunquam id fieri potuit. Ego uero Virgo, inquit, toties à te in hoc templo piè uocata, toties à te diuinis laudib. exornata, ut tibi curarem caput, nunc adueni. Hodie aqua fusilis ligni fructib. permista ter caput abluito, inuocato prius Deo parente, filioq. & diuino spiritu. Tuo. n. arbitratu statim curaberis. Praeterea benignissima ad se puerū proprius iubens accedere, sanctissimaq. manu eius caput attingens, illi pollicita est, futurum, ut nunquam dolore capitinis postea laboraret. Domum ille exsultans rediit, & ab ancilla ea paranda curauit, quae Virgo dixerat; statimq. caput expurgatum est. nec unquam postea, dum uixit, Virginis immortali beneficio labo rauit ullo dolore capitinis.

## MIRAC. VIRG. XLVIII.

MIRAC. VIRG. XLVIII.

Iuuenis, qui studijs operam dabat, animam Virgo in coelum perfert, ut ibi summa cum pace, aeterno aevo frueretur.

**I**N ciuitate Hunnensi mulier, quae in abditissimo, ac semotissimo loco sanctissimam uitā degebat, è speculae rimis quadam nocte non minus splendidam lucem uidit, quam si meridianus sol illuxisset. diei ipsa lucem esse existimabat. Quarè statim surrexit, incredibilem dolorem capiens, quoddam sero in lecto retenta non satis assuetarum prectionū muneri fecisset. Aperta ergo specula uidit, illam non solis, aut diei lucem, sed tantum ab ea quoddam sepulchrum septum esse, in quo paullo ante iuuenis se-

M 2 pultus